[13

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HEPATIS VI

IN VALETUDINE TUENDA, ET IN MORBIS CURANDIS.

Nos, qui sequimur probabilia, nec ultra quam id quod verisimile occurrit progredi possumus, et refellere sine pertinacia, et refelli sine iracundia parati sumus.

Cic. Tusc. Disput. ii.

JOSEPHO COLLIER COOKWORTHY AUCTORE.

Res novæ et inauditæ excusatione commendari solent, ne quæ antiquitus satis ratæ essent, illæ hodie pro falsis rejectæ inconsulto nimis ac temere videantur. Scilicet ipsa novitas suspecta est: nec injuria quidem, vel me judi-



[Edinburgh: Abernethy & Walker. 1812.]
4 prelim leaves wanting. Last (blank) leaf present

ce; modo ab illo oblata sit quem non anni decoravere, non usus docuit: quippe cujus confictæ opiniones, tanquam ardentioris ingenii facinora, laudantur simul et negliguntur. Quod ad me attinet, si quæ mihi tractanda suscepi, ea non probis argumentis fuero ac justis conatus rationibus stabilire, in me descendat culpa. Quem potius haud æquum extitisse defensorem censeatur, quam illa falsa esse maluerim. Quæ posthac lautius ac lucidius aliquando exponet præclarus ille vir, cujus id omne est quicquid laudis habent. Ostendet nimirum exorta illa esse ex observatione multiplici ac indefessa: ostendet sibi viguisse, illa crevisse, maturuisse non in vitæ fallentis semita, non inter umbratiles academi silvas, sed inter arduas res et molestas, adversa valetudine, et ingravescente dolore. Quod si unquam eveniat, simplicitas, venustas, pulchritudo, charites simul ac veneres amicissime conjurantes, vel invitis extorquent assensus.

Non ego illud parvi æstimo, quod jam mihi aperte confiteri liceat opiniones me illas, quas ad exponendas hodierni est negotii, a clarissi-

mo CURRY acceptas servasse: quod liceat quoque confiteri quam totam illi fidem lubens concedam. Quem cum audiret puro illo ac eleganti sermone disserentem, quotus est quisque qui laudationem recusare posset si vellet, aut vellet fortasse si posset?

..............................*" his plausive words*
" He scattered not in ears, but grafted them,
" To grow there, and to bear."

Neque ego is sum qui sperem me tanti viri sententiis auctoritatem posse addere: nunc solummodo in concilio est ut qua potero illas brevitate perstringam: et denique, si quid ipse noverim, id testimonio deponam. Quod si mihi vita supersit, eam me prænuntio impensurum in hac doctrina indaganda: exerciturum me quas mihi cunque vires suppeditarit natura (quibus si exiles sint industria subveniat) in illa promovenda, augenda, locupletanda; modo qua nunc sum opinione de utilitate ejus, ea usque permanserim.

Gratulor mihi quod in partes nostras accersire possim magna illa nomina CHEYNE, ABER-

NETHY, et, quod alii forsan mirabuntur, HAMILTON. In præclaro suo libro " de Hydrocephalo acuto" videtur CHEYNE, suis ipsius viribus, opiniones sibi excogitasse haud ita diversas ab illis a CURRY expromptis : quas, ut liquet, non noverat, quanquam per multos annos, prælectionum ope publici juris fuissent. Porro, quos morbos ABERNETHY statuit omnium communia esse vitia viscerum a quibus alimenta concoquuntur, eos unius esse jecoris CURRY autumat. Verum enimvero, vix aut ne vix fieri potest, quin qui tam mirifice inter se consentiunt insignes experientia, scientia, ingenio viri, aliis quoque doctrinam suam vehementissime commendent. Quam ego illorum cujusque propriam esse statui, utpote quorum principiis iisdem haud ita diversa contigit applicatio.

Cl. sane HAMILTON, qui nullam non impendit curam quo longa experientia solidam et exquisitam doctrinam sibi compararet, fecit exinde ut non nisi summa observantia excipiamus quicquid in libro suo obtulerit " de Medicaminum Purgantium utilitate." Quem ego adeo non nobis adversari ostensurum me spero, ut

vel in eandem metam, diverso tamen, neque ita proximo, itinere festinet. Ille nimirum experientia atque usu innititur; nostrum est, ut monstremus felices ejus successus ex ipsis principiis oriundos, quæ leviter hactenus perstrinximus.

HODIERNÆ nostræ disceptationis hæc præcipue est summa, ut explicem MAGNA ILLA AC VARIA JECINORIS OFFICIA QUAM MIRIFICE VALETUDINI MODERENTUR: QUIBUS, NON NISI RITE PERACTIS, CORPUS SALUTE FRUITUR: LÆSIS DENIQUE, GRAVISSIMA MORBORUM SERIE AFFLIGITUR, QUI VEL TUM PRIMUM EXCITANTUR VEL CERTISSIME ADAUGENTUR.

Rectius autem interfuerit quærere, *Quæ sit illa functio hepatica, et quanti sint effectus ejus in œconomia animali.*

JECUR igitur, non ut cæteræ glandularum, ab arteria enutritur, cui solummodo officio est ut sanguinem ei deferat. Quod autem ad secernendi suam facultatem attinet, sanguinem

refluum ab omnibus abdominis visceribus concoquentibus, per venam excipit: qui, vel illic adeo mutatur, (quod plerisque visum est,) ut aptus evadat ad bilem deponendam: vel, (quod satius est,) * ut hæc ab illo, jecoris ope, secernatur. Par est tamen, ut et aliud quodam esse jecinoris officium præter simplex secernendi, vel a modo quo hoc fit, suspicemur. Humor enim ille, ciborum digestioni ministrans, ab arteria secerni potuisset; quod in pancreate videmus. Contra autem evenit, ut venæ viscerum, arterias comites deserentes, in truncum satis magnum coëant jecinori distribuendum. Quo cum deveniat, multiplici statim divisione ramulos suos huc illuc jactat; adeo tamen, ut lapsu quodam erratico in omnes jecinoris partes conferat se ac diffundat. Quoniam autem ramulorum capacitas valde exsuperat illam trunci, fit exinde, ut sanguis, debiliori impetu profluens, quandam opportunitatem jecinori

* Ut hæc ab illo, jecoris ope, secernatur; vel, (mutatis verbis,) *In vasis viscerum dotes quasdam acquirit sanguis, quas ad sejungendas necesse est hepar munere perfungi suo.*

præbeat, ut ipse potestati ejus longius subjiceretur.

Neque me fugit ab Abernethy infantis sectionem narrari, cujus portarum vena in cava terminasset, neglecto omnino jecinore. Hoc autem bilem etiamnum secreverat; adeo tamen, ut inter gustandum neque tam acerrimæ amaritudinis, nec saporis tam putidi, quam solitum est, sentiretur. Quæ cum ita essent, persuasit sibi vir ille egregius, bilem posse laudabilem secerni vel a sanguine arterioso. Huic tamen opinioni duo adversantur: neque ipsa bilis scilicet non deficiebat, et natus menses decem emortuus est infans.

Contra ii, quibus necesse esse videtur ut per jecur fluat venosus sanguis, ad fœtus rationem considerandam nos referunt; quippe cujus, ut aiunt, non nisi post mutatum sanguinis cursum, cum portarum vena venosum solummodo sanguinem exceperit, bilis perfecta et absoluta secernitur. Monere autem supervacuum est, longe alium sanguinem per portarum ramulos post partus fluere ac in fœtu, cum ita proxime cum vena umbilicali connexi sint. Quam sci-

licet fœtus structuram considerans CAROLUS BELL, "hoc," *inquit*, "modo secretæ bilis ac-"tionem præcavet natura. Illa autem, statim "atque in lucem editus est infans, mutato san-"guinis circuitu, plenius effunditur: et visce-"ribus abdominis quasi stimulos suos admo-"vens, excitat ea ad agendum et irritat." "Quod si aliter paratum fuisset, viscera fœtus, "quæ materia quadam differta ac distenta vi-"dere est, non requiescerent torpore atque in-"ertia occupata *."

Quoniam autem illud *excernendi* officium, non minoris esse momenti, vel in jecinore, reputaverim, quam hoc quo secretio fit; liceat ut ea argumenta recenseam, ex quibus, si non citra litem ponatur, saltem verisimile esse videatur.

Machina profecto animalis, ex variis quibus fungitur muneribus, sensim sine sensu tabescens, hic illic diversis partibus necessario corrumpitur. Renovatur tamen certa aliqua vi, et assidue reficitur, haud secus ac corporis illa

---

* Bell's *Anatomy of the Human Body*, vol. iv, p. 124.

continua dispendia nutrimenti ope reparantur. Corruptæ vero et functæ munere, partes idoneo quodam paratu e corpore eliminandæ sunt. Nec hic quidem ipsa sibi deficit natura. Miram illam profecto et multiplicem glandularum structuram exegit, a quibus, inutile quicquid est, a generali massa secernitur, et canali exceptum foris ejicitur.

Quæ cum ita sint, nunquam satis mirari possumus tam multos commune illud glandularum excernendi officium jecinori prorsus negasse. Quæ forsan ex eo creverit opinio, quod bile, una cum liquore pancreatico in duodenum immissa, chylificationi maxime necessaria inventa, eademque ad alvum expediendam auxilio visa, cæteri ejus usus ac munera haudquaquam scrutarentur. Quod si intercludatur bili via? Haud illico enutriendo corpori prorsus est finis. Porro chylus est albidus: fæces flavescunt. Necesse est igitur propriam suam naturam deperdat bilis dum chylo immiscitur: eandem denuo statim sibi sumat cum ad intestina crassa aliquando pervenerit. Hoc autem, cum minime verisimile esse videatur, aliis placuit excer-

pere eam quicquid alimentorum excernendum est, et sibi attrahere, uti quod magis ineptum ad nutriendum fuerit præceps auferat.

Jure igitur tentandum est ut longe alia jecinoris officia inveniamus. Quod si secreti liquoris proprietates, qualitates exquiramus: si ipsius glandulæ magnitudinem consideremus: spectemus quoque quam rationem habeat cum cæteris visceribus: sperandum est ut vel certius aliquid probemus.

In humano corpore quarta pars abdominis jecinori tribuitur. Ex vasculis quasi omnino constat. Secretus tamen liquor satis est parcus. Anne igitur credendum est Naturam, adeo habilem opificem, ut nunquam non fabricam muneri suo quadret, hic unice somniasse? tantæne molis glandulam confecisse, ut liquorem effunderet minori quantitate quam renes aut mammæ? nullane ratione tantum sanguinis jecur a visceribus abdominis absorbeat, dum propriam quoque arteriam excipit, quæ cæteris glandularum abunde sufficit pro ratis earum muniis? His autem percunctationibus quid sit respondendum postmodo videbitur.

Sanguis igitur, post secretam bilem, paucis admodum venis exceptus, ab iis in cavam inferiorem traditur, et proximo itinere ad cor revertitur.

Quanquam chemia haud ita hodie provecta sit, ut venosi sanguinis et arteriosi diversitatem ostendat; tamen per se res satis liquet. Suus enim cuique est color: et venarum sanguis non nisi cum vitæ jactura cerebro transmitti potest. Itaque mutabatur quodammodo dum per corpus flueret. Circuitu autem sanguinis nondum prorsus absoluto pulmonem subit: ubi *carbonem* separans et excernens, pristino suo muneri aptus evadit. Haud secus per jecur fluens, ille sanguis viscerum abdominis bilem edit, ex *carbone* potissimum constantem. Hinc inceptum nimirum in jecinore, opus integre peractum est in pulmone.

Præter alia igitur ex quibus bilis constat, *carbo* ille a sanguine excernitur, non pulmonis solum sed jecinoris quoque ope. De quibus utique, quam inter se magnitudinum rationem conservent, operis pretium foret quærere. In *molluscis* igitur pergrande est jecur: in *piscibus*

amplum admodum et oleosum: haud ita magnum *mammaliis* contigit et *alituo generi.* " Et " lorsque l'observation" (*inquit* CUVIER) " nous " montre des raports constans de forme entre " certains organes, nous devons en conclure " qu'ils exercent quelque action l'un sur " l'autre; nous pouvons même être menés " par-là à des conjectures heureuses sur les " usages de l'un ou de l'autre. C'est ainsi que " la grandeur plus considerable du föie dans " les animaux qui respirent moins, et la privation totale où en sont les insectes donc la " respiration est la plus complète qu'il soit " possible, puisque tout leur corps est, pour " ainsi dire, un poumon, on fait penser que le " föie supplée jusqu'à un certain point à ce " dernier organe, en enlevant comme lui au " sang *ses deux principes combustibles* *."

Sæpius autem rogari soleo: Quid? si tam magna officia jecori exequenda sunt, quì fit ut gravissimo interdum morbo urgeri posset, nec illico præceps fiat vitæ jactura? Indicatur scili-

---

* *Leçons d'Anatomie Comparée*, tom. i, p. lvii.

cet morbus qui scirrhus audit. Cujus initium inflammatio est: aucta simul visceris magnitudine: aucta quoque ipsius secreti liquoris quantitate, qualitate ejusdem itidem inquinata. Inde lympha in jecoris interstitia effunditur: secretio tandem aliquando impeditur, et ipsa glandula muneribus suis impar sensim imminuitur. Neque ego sane inficias iverim talem morbum ventriculum et intestina vehementer affligere. Attamen scire contra velim, quid iis elementis accidat haud amplius, ut visum est, a sanguine secretis. Profecto ea fere est conditio hujus morbi, ut ægrotantium cuticula immundo quodam ac luteo colore statim flavescat. Quod sane adeo non infrequens est, ut inter peritos pro certo hujusmodi morborum indicio habeatur. Plerisque tamen visum est, eo flavescere cuticulam quod bilis probe secreta, impeditis canalibus, in jecur refluat, et denuo resorbeatur. Ex incisis autem cadaveribus satis superque constat pallidum et contractum jecur non posse secernere: quod quoque ex alvi albidis dejectionibus clarius innotuisset. Attamen haudquaquam inventum est ductus porosque

biliarios, magis quam cætera jecoris materies, morbo esse obnoxios. Neque verisimile esse videtur ductus illos obstrui, extrema vasculorum secernentium vitio carere. Universi enim jecoris morbus est—non proprius ductuum.

Quod si cutis flavedo a bile dependeat, vel ejusmodi quodam fluido, sat liquet eam a jecinore non potuisse secerni: potuisse autem a vasculis alia quadam corporis parte sitis separari. Quod sane cuti crediderim officio fuisse, quippe quæ secernendi munere continuo fungitur. Cum autem nullum alium corporis humorem novimus, quo tincta cutis flavescat, bilem causa fuisse statuendum est. Quod si non eo referendus est color ille subflavus, cum cutis aliqua parte contusa fuerit: attamen haud scio an nullus sibi persuadere possit totam corporis superficiem, vitiato jecinore, illud periculi subiisse.

Nullos quoque latere potest, maximam fæcum partem in intestina excretam fundi. Anne igitur credendum est huic operi jecur solummodo non inservire, cujus fabrica vasculorum non multo minor est quam tota illa intes-

tinorum crassiorum? Plurimis quoque corporis organis duplex tribui solet officium. Hinc cutis excernendo, corpus refrigerat. Pulmones excernunt, et voci subveniunt. Renes excernunt, et ventriculo, cuti, pulmonibus rationem quandam gerunt, dum ipsi bili viam patefaciunt. Jecur quoque *excernit*, atque eò *digestioni* mirifice *inservit*.

Quæ cum ita sint, statuendum est, esse jecur viscus, omnium, quæ in toto corpore repeeriuntur, pro muneribus suis gravissimum: credendum quoque ab illo fieri quandam sanguinis depurationem; dum quæ excreta sunt, mirabili naturæ œconomia, concoctionem adjuvent, et, quod præcipuum est, intestinis ipsis vim et vigorem addent.

Restat, ut quis sit bilis usus in intestinis explicem: quod sane mihi huic operi accincto maxime in concilio erat. Atqui monendum est, me in iis quos morbos adduxerim jecoris læsam *functionem* velle ostendere. Neque obliviscendum puto, plerosque medicorum, cum integram esse jecoris *structuram* viderint, eo autumasse id omni immune esse vitio, omnes-

que irrisui prætendisse quibus alia fuerit opinio. Cave igitur dixeris salvam fuisse bilis secretionem ea sola de causa, quod secto cadavere, non illico jecoris morbus innotuerit.

Qua vi aut quo modo bilis secernitur, prorsus ignotum est. Jecori sanguis transmittitur, inde defluit liquor, a sanguine quo productus est valde dissimilis. Secretionem excretio statim subsequitur. Bilis, ab extremis venæ portæ ramulis, in duodenum labitur per canalem communem: qui intestini tunicas adeo oblique perforat, ut valvulæ quædam structura claudat identidem bili viam. At illa, reflua quodammodo, in vesicam felleam recipitur, ac retinetur donec exire oportet. Hoc autem functa officio, alii nimirum ac majori inservit vesica: receptaculo enim bili oblato, cavet ne illa in ductus rejecta plenitudinem morbumque inde oriundum inducat.

Cum autem fellis vesica ductusque musculis, ut videtur, careant, fas sit dubitare quo modo

jecur excernit; sed vis ea qua saliva, cibo accepto, in os infunditur, eadem in intestina ingeret satis bilis, simul ac necessitas postulet. In ventriculum assumitur cibus; quo is solvi posset secernitur humor; viscera concoquentia omnia, communi quasi consensu, agunt; omnia in eundem effectum operam suam impendunt; humores suos unumquodque suppeditat, pancreas, intestina, jecur. Scimus quoque necesse esse sanitati cujusque, hæc cuncta munera rite expleri; et quo graviora illa, eo majora depravationis mala esse.

Harum functionum singularum magnitudine perspecta, bilis usus luculentius cernemus. Jecori ministrare lienem jampridem putabatur, ex eo quod hic illi sanguinem directe transmittit. Lien tamen, quemcunque in usum valeat, haud dubio extrahi potest, nec bile nec concoctione obvie mutatis.

Pancreas salivæ similem humorem secernit; idque ullo alio fungi officio documenta nulla habemus. Saliva in ore deglutitioni opitulatur; succus pancreaticus in intestinis chylum fluidorem reddit. Res utraque concoctionem cibi

fortasse juvat. Pancreas vero, quamlibet illi vim tribuas, scirrhosum sæpe reperitur, absque ulla incommoditate, donec eo usque magnitudinis processerit, ut ductus biliarii comprimantur. Probe enim memini me hominis cujusdam, quem fors iniqua, dum summa valetudine frueretur, necaverat, cadaver secuisse, in quo pancreas, omnino induratum, secernere diu nequierat. Quod autem a sectione cadaverum accepimus, experientia vel in vivis comprobat; ductum enim pancreaticum ligatura HAIGHTON obstrinxit, absque ulla animalis injuria cujus periculum fecerat.

" Intestina scilicet hisce duobus muneribus " inserviunt, ut dispendia corporis reparent, et " quicquid ad id corrumpendum valeat, ar-" ceant *." Hoc posterius colligitur, propterea quod intestina humores excernunt, qui noxii facti fuerint ex mutationibus quas in corpore subiere. Alii credunt, hæc excernenda, una cum succo pancreatico, ad chylum perficien-

* Hamilton *on Purgative Medicines*, p. 12.

dum haud parvum contribuere. Quæ profecto res demonstrationem haudquaquam admittit. Succus intestinalis quoque, eo loci, quo chylus, non inveniri solet: parvis secernitur glandulis, quibus intestina crassiora abundant; tenuiora carent. Ab his glandulis, dejectiones fluidæ in dysenteria excernuntur; cadavere autem secto, quam paucæ glandularum in intestinis tenuioribus, morbo affectæ, inveniuntur; eæque non nisi ubi ilion et colon coëunt. Nonne igitur vere dicamus, eas ad materiam excernendam inutilem valere; hanc autem ad corpus nutriendum prorsus esse ineptam?

Cum mihi persuasum sit usum bilis, ex signis defectus ejus perspectis, quam lucide comperiri posse; hypochondriasin seligere decrevi, cujus indicia plane dignoscuntur, et in qua tum quantitate, tum qualitate deficit bilis.

In hoc morbo viscera pigerrima; fæces albidæ, luteæ, sæpe nigræ, fœtidissimæ, tenaces, haud facile dejectæ. Ægro erit sapor oris pravus; eructationes nidorosæ, acidæque; flatus; cibi fastidium; plenitudinis vel ponderis circa præcordia sensus; manu scrobiculo cordis, aut

margini e dextro latere costarum admota, dolor. Lingua aut albida, aut sordibus obducta; cutis arida, tactuque ingrata. Respiratio citata, et palpitatio cordis a causis minimis sæpius inductæ. Languor ad incumbendum operi ægrum inhabilem reddit; quies ejus somniis horrificis perturbatur; animus timori et vanæ desperationi cedit. Crediderim posse neminem infelicem ejus statum describere; neminem, quem non experientia molesta docuerat, miserias posse animo concipere. Mente dolet, nescit quapropter, et non misericordiam, sed probra amicorum, invenit.

Hypochondriase ita descripta, investigare liceat quatenus credendum est, symptomata ea a jecinore pendere. Plerique locam ubi bilis in intestinum introit contemplantes, eam putant ad chylum perficiendum valere. Quæ sane opinio potius assumpta est, quam confirmata: in ictero bili in intestina nullo aditu patente, corpus nutritione non cito privatur. Sed si credamus bilem quasi stimulum intestinorum naturalem agere, plane oportet ea ad duodenum intret, adeo ut per totum canalem hoc munere

fungatur. Quum uberior fluat, sæpe salutariter purgat, et glandulas, tunicamque musculosam intestinorum incitat; illorum secretionem, horum motus augens: quum vero deficiat omnia perturbat. Quæ si ita sint, motus intestinorum impeditus haudquaquam "*constipationis* "*effectus*," multo magis ejus *causa*, esse videtur; nam vel obtutu videndum est, alvum prius torpuiisse quam fæces colligi cœpisse.

Bilis sana flava est, adeo tamen ut subfusca videatur. Dotes ejus alkalinæ et amaræ acrimoniam et putredinem, in quas esculenta, sive ex carne sint sive ex plantis, tam prona sunt, corrigere valent. Natura ejus saponacea fæcum tenacitatem minuit, quo promptius dejiciantur.

Copia et qualitas bilis, diversis temporibus secretæ, scrutatis alvi dejectionibus facile dignoscuntur; prout enim fæces a colore fusco abeant, munus jecinoris plus minusve depravatur. Bilis aliquando in fellis vesica invenitur graminei coloris, etiam sine ullo morbi signo; at illa plerumque, aqua admixta, aliquatenus flavescit. Quod nisi fit, illico credendum est sanam ejus conditionem deperdi. "Hæc au-

"tem bilis," (*ut dicit* ABERNETHY,) "tunc po-
"tissimum effundi solet, cum organa ea cibum
"concoquentia morbo quodammodo affligun-
"tur; neque licet suspicari sanæ bilis duo esse
"genera *."

Pro morbi diversitate, fæces maxime diversæ sunt. Materia viscida, mucosa, albumini ovi simillima, sæpe ejicitur, quam ab intestinorum glandulis secerni crediderim. Alius est status bene notus, cerevisiæ spumæ similis, tam spissitudine, quam colore; qui color pallidus bilem omnino deesse ostendit. Anxietas et pondus circa præcordia, jecoris quamlibet functionem comitantur læsam; ideoque signa sunt hypochondriasis consueta. Hæc, alvo etiam soluta, non amoventur; sed non multum doloris afferunt, donec manus jecoris in regionem prematur. Ei is est torpor, vel adeo exilis vis nervosa, ut, etiam inflammatione invasum, ne quidem morbi ægrum admoneat; sed, manu leniter admota, dolor vehementer urget. Alii dolorem humeri, nec non lateris sinistri sen-

* Abernethy *on the Constitutional Origin and Treatment of Local Diseases*, p. 35.

tiunt. At hi dolores manifeste fallaces sunt, quippe qui pressura potius levantur, quam adaugentur. Etiamsi dolor absit, ne fallamur cavendum est: simul atque vero signa sunt quæ jecoris malum indicent, pressura latus tentandum est, qua morbus forsitan patebit. At sæpius evenit ut tentationes quanquam accuratissime haud raro inefficaces sint; nam ex visceris magnitudine fieri potest, ut pars solummodo vitiatur quæ sub costis lateat.

Lingua fere habenda est ventriculi habitus indicium: atque sordes, quibus inquinatur in hypochondriase, demonstrant quantum alieni sit particeps morbi ventriculus. Lingua varie afficitur, pro diversa morborum ratione. In febre arida est et albida; sed ubi viscera concoquentia multum defecerint, sordida fit et subflava, marginibus apiceque morbide rubris. Sæpe quoque tremula fit ex acribus in intestinis congestis, quod a consensu inter nervos octavi paris, noni, et sympathetici pendeat. Quibus autem a causis eructationes nidorosæ gignuntur, haud liquide apparet; attamen ab iisdem crediderim, quæcunque eæ sint, animam

fœtidam oriri: quæ enim ægri hydrocephalo tentati e ventricula ejiciunt, juxta olent, atque oris halitus.

Respiratio citata, cordis palpitatio, languor, lassitudo, aliaque nervosi generis depravati, indicia: ea omnia credendum est a munere jecinoris non rite peracto pendere; bilis enim ita intestina incitat, ut vigor totius corporis promoveantur. "Cum autem compertum habeam," (*inquit* ABERNETHY,) "a nervoso genere irrita-
"to (utcunque acciderit) ventriculum, intesti-
"na, jecur, eodem fere tempore affligi; tunc
"jure statuendum puto ea omnia organa, ea-
"dem agente causa proculdubio affici. Cere-
"bro laborante intestina mox ægrotant: quam
"rationem, inter eas corporis partes invicem
"subsistere satis est notum. Plerisque autem
"visum est ventriculo hos effectus referri: at-
"tamen opinor causam latius quæri debere.
"Iræ enim accessio sæpius icterum produxit;
"in infantibus quoque secretio bilis e denti-
"tione impediri solet, adeo quoque ut alvi
"dejectiones omnino sint pallidæ. Quod si a
"capite jecur tam vehementer potest affici,

" hoc illi eadem lege imperare credendum pu-
" to."

Ex supradictis, vis, quam bilis exercet in intestina, satis manifeste patet. Si igitur dejectiones morbum indicent, fontes scrutari ducimur, a quibus qualitates stercora suas accipiunt; inferre illos corruptos esse, atque iis ea remedia adhibere ut potissimum valeant.

Quomodo hypochondriasis mala ex functione jecoris nectitur ostendere dedi operam: hanc rationem ad unumquemque hujuscemodi morbum accommodare, nos longius ab incepto traheret. Dici potest me non hypochondriasin selegisse debere, hanc ad illustrandam rationem; utpote quæ ab aliquo mentis motu sæpe oritur. Veruntamen facile animo concipi potest effectum diu permanere posse postquam causa cessaverit, effectumque denuo causam fieri, ex qua non solum aliæ corporis partes, atqui etiam mens ipsa rursus laboret. Quod mihi, in ma-

trona quadam, fratreque suo, contigit videre licet narrare. At illa, mortuo marito, mentis depressione laboraverat, quæ jecoris functionem plane corruperat; quod sane malum non aperte se ostendit, donec animi mœrorem tempus levasset; semel autem excitatum (quanquam medicina amara, aliaque quæ stomachum roborant, corpusque confirmant adhiberentur) non prius cessavit quam mercurio tentaretur. Hujus quoque frater, omnia hypochondriasis signa ostendit, atque eodem modo sanatus est. Hic autem e febre intermittente exortus est morbus; quo cernendum est eundem effectum non necessarium ab iisdem causis pendere.

Morborum unumquemque, cui hydrargyrus prodesse queat, accurate describere longum esset: paucos tamen excerpam, testesque auctores in medio deponam.

Synochum, typhum, speciesque eorum diversas contagione contractas esse plerisque patet. Sunt tamen quæ viscerum muneribus abdominis malum esse indicant. Ægro est lingua sordida, sapor oris ingratus, sitis, fastidium cibi, nausea, vomitus iteratus, sæpe bili-

osus, alvus initio tarda, mox laxa ; stercora dejecta lutea, nigra, fœtida ; urina decoloris, vel ruberrima, cerevisiæ fortiori consimilis. Præter hæc, dolor capitis, dorsi, lumborum, vires et animi corporisque demissæ ; omnia secernenda vel paucissima, vel multum inquinata ; petechiis et vibicibus cutis distincta.

Quæ si hujuscemodi morborum certa sint indicia, et si vires intestinorum a jecinore promoveri, cernamus ; constat nos munia ejus integerrima quam citissime revocare debere. Alvum solummodo ducendo, (i. e. stercora jam in intestinis constipata ejiciendo,) ægro parum succurritur. Sed hæc hactenus.

Historia sua Pestis, quæ anno MDCCCI Ægyptos vexabat, dicit Price, " alvum prius pertinaciter torpuisse, quam morbum innotesceret, eandem constipatam perstitisse etiam convalescentibus ægris. Plurimis incolis Indiæ, in regionibus ventriculi et lienis tumor

"magnus erat, quo manibus tentato dolor ve-
"hemens urgebat *."

Medicus ille ad alvum purgandam, et ad salivam movendam hydrargyro utebatur. Qui, cum salivam frictionis ope movere nequibat, purgando solum hydrargyrum prodesse ratus est: fatetur idem ægrotantium mortuum esse neminem, cujus in ore saliva excitata est; quanquam, hoc salutis signo non viso, plurimos sanatos esse. Cum non crediderim omnino esse necessarium in os salivam reddere, auxilium tamen quod hydrargyrus præstat, vi ejus catharticæ tribuendum puto: quam opinor non esse solummodo alvum expediendi facultatem, sed quoque ductus jecinoris, nec non aliorum viscerum, *emulgendi*. Quod ad efficiendum hydrargyrum valere constat, ex eo quod plurimum prosit, cum opium commixtum prohibeat ne citius per intestina transeat. Stercora prius lutea, nigraque, aut albida et tena-

---

* *Appendix to* Dr Hamilton's *Observations*, &c. p. 46, et seq.

cia, sensim jam colorem suum induunt; simul atque hæc mutatio fit, æger convalescit.

"Plurimi ægrorum stercora indurata ex alvo "multa dejiciebant, coloris nigri, (cacao li-"quido similia,) bilem denuo meram, simul "cum muco albumen ovi referente. Alvo "plene soluta, febris decedere, capitisque do-"lor levari cœpit." Submuriatis tamen hydrargyri granis lx totidemque jalapæ duodecim inter horas adhibitis, dejectiones tres solummodo editæ sunt: hisque peractis, aloë et rheo utebatur. Cæterum, quamvis febris, ut supra, ægrum reliquit, nihilominus inter convalescendum alvus constipationi proclivis erat.

Memoravit HAMILTON plurimos ægros catharticis sanatos esse. Sub autem initium libri sui, ostensa laxantium et purgantium diversitate, plane dicit, "se velle tantummodo e ægri "corpore fæces ejicere, eoque quicquid irri-"tat ab intestinis amovere," aut, quod eodem redit, "se purgantia adhibere, dum cavit ne "alvum nisi quam leniter movent."

Catharticis aut laxantibus adhibitis, nil nisi stercora ejicere, purgantibus vero omnia excer-

nenda promovere, volumus. Satis notum est, excretiones in intestina augeri posse purgantium ope efficacium: haud ita constat, æque prodesse ac si aliis quibusdam remediis utamur. Nam a PRICE certiores facti sumus, alvum, etiam post purgantia adhibita, torpuisse, dum ægri convalescerent; neque dubitandum est causam constipationis remotiorem adhuc permansisse, neque a solitis remediis tollendam: inde quoque cernemus quare nemo, cujus salivam hydrargyrus moverat, morbo periisset.

ALIUS adhuc morbus qui clarius forsitan demonstret, quantopere functio jecoris sane revocari debet: DYSENTERIAM volo, quæ ab aliis a contagione, ab aliis nequaquam provenire putatur. Utcunque hoc sit, multa sunt documenta eam de novo generari posse.

Indicia hujus morbi præcipua in abdominis visceribus sedem tenent; nempe, dejectiones ab intestinis crebræ, parcæ, mucosæ, sanguinolentæ; dum fæces plerumque retinentur, aut

excretæ bile vel leviter, vel haud omnino imbuuntur. In omnibus exemplis DYSENTERIÆ, jecur post mortem, vel structura vel functione vitiatum reperitur; ita ut a contagione, an ab aliis causis oriatur, ingravescit atque protrahitur a muniis jecinoris depravatis; atque hac depravatione corrigenda, bileque sana, quæ intestina excitat roboratque, in ea adducenda, promptissimum auxilium paratur.

UT igitur brevi præcidam, liceat ut hanc nostram medendi rationem, cum illa quam sequitur HAMILTON, componam.

" *Look now on* this *picture, and on* this."

Ille nimirum, cum perspectum haberet alvi functiones læsas reparari sæpenumero posse purgantium ope; cumque videret eo promptius valetudinem confirmari, quo citius decolor alvi dejectio naturales suos colores sibi sumeret: opiniones suas exinde sumptas, usuque, ut videtur, stabilitas prelo commisit, quo laboribus

suis latius cæteris prodesset. Huc usque non adversamur; causis autem ac natura istarum mutationum magis intime perspectis, felices ejus successus longe aliis causis, quam quæ ab eo recensentur, referendos putamus: quod ad assequendos aliis quoque utimur remediis.

Medicamentis profecto catharticis vel purgativis potissimum confidit, quorum effectus adeo moderatur ut non plene solvant alvum. Hac methodo perstitit, donec tandem aliquando prospera evadat valetudo. Fæces interim magis fiunt naturales, quoad colorem, concretionem, odorem. Scilicet ipsum HAMILTON sequor dum hæc refero; hæc enim omnia assidue præcipere vult. Fatetur porro se non velle purgare alvum, queriturque, quod ad hanc rem pertinet, se male intelligi: Attamen contra dicit se unice velle intestina inania reddere, ut id, quod irritare solet, tollat. Nonne igitur hoc fieri possit vel semel purgando efficacius? si tanti tamque graves morbi ex alvo fæcibus differta pendeant, quam facile iis subveniendum est? Ipsa autem ratio medendi, quam sequitur HAMILTON, hujusmodi opinionem refellit. Me-

dicamina enim per certum, neque ita breve tempus, adhibendo sedulo persistit; neque prius sanatur ægri, quam alvi excernenda sanum ostenderint colorem.

Jure igitur percontari licet, quo iste sanus color excernendorum referendus est? quænam quoque organa tam felices effectus operari valeant? Duas tertias partes omnium excernendorum in intestina ingeruntur, a glandulis vel intus vel proxime sitis; et quicquid esculentorum in intestina crassiora labitur, ibi fluido commistum, statim colorem cæteraque huic propria sibi sumere consuevit. Quoniam autem, deficiente omnino bile, fæces pallidæ evadant, constare videtur integrum suum colorem, flavum, subfuscum ab illa pendere. Deficiente quoque bile, glandulæ in intestina parcius excernunt. Quo pigra fit alvus, fæces duræ, scybalosæ immo liquidæ interdum modo aliquid (ut cibus male concoctus) excitet intestina et irritet.

Nitendum est igitur, ut, theoria omnino remota, flavum, naturalemque fæcum colorem re-

cuperemus; vel, quod idem est, ut bilem excitemus, quæ stimulos suos salutares naturalesque intestinis admovens, impeditis eorum functionibus mederi possit, ægrumque sanitate et vigore beet.

Qua tamen vi hoc tam magnum efficiamus? purgantium ope, inquit HAMILTON; hydrargyri contra CURRY, CHEYNE, ABERNETHY. Attamen utrum his sive illo felicior fuerit successus, non me augurari decet: ex perspecta autem cujusque medendi ratione quid sit verisimile conjiciendum est. A mitiori igitur cathartico exinaniuntur solummodo, ut videtur, intestina: ab efficaci contra, quicquid a singulis viscerum excerni solet, id quantitate adaugetur. Itaque satis constat mitius illud nihil nobis valere posse. Ab HAMILTON quoque rejicitur, quanquam non ratione sed usu doctus impotentiam ejus noverit. Utitur autem hoc efficaciori; non usque ad purgandum, sed tamen ut alvi dejectionum speciem permittit, eaque corrigat excernenda, a quibus dejectiones vitiatas esse constat.

Quoniam autem perspectum habeamus integras intestinorum functiones a jecore potissimum pendere, hoc viscus nobis præcipue cura est. Ex multiplici itidem observatione, tam nostra quam exteris regionibus habita, sat liquet vel maximam in illud vim hydrargyrum exercere, utcunque inter se medici dissentiunt de actione ejus, sive localis sit sive generalis. Alii licet credant corpus humanum magna detrimenta ab illo capere; ego tamen non dubito affirmare, hydrargyrum nulli remediorum secundum esse, quæ in MATERIA nostra MEDICA utilia simul ac paucissima numerantur. Verum enimvero CORTEX PERUVIANUS exemplo traditur posteris quam parum imperitorum conviciis confidendum est, quippe qui olim vituperatus, nunquam satis hodie laudari possit. Crediderim quoque medicum, cui sat notum est quam magno ac gravi ipse fungitur officio, non velle incerti remedii nimias experiri vires, donec naturam ejus penitus perspexerit, effectusque religiosissime observaverit. Quicquid autem in hydrargyro noxium est, id plerumque experiri

solet, non nisi cum corporis constitutio plenius afficiatur. Quod sane haud unquam necessarium est,—sin improviso evenerit illico intermittendum est medicamentum. Locales ejus effectus excitare volumus: neque, si ex idiosyncrasi quorundam constitutio afficiatur, id quod fortuito occurrit, remedii vitio est habendum.

Haud satis notum est, qua ratione medicamentum operari possit in aliquod organum quod non directe afficiat. Utcunque tamen explicanda, sic se habet res. Si enim gingivæ hydrargyro affricentur, glandulæ quæ salivam cient mox intumescent, eamque copiosissime excernent. Hic autem, quanquam in extremitates solummodo ductuum agit hydrargyrus, æque moventur glandulæ, ac si toto systemate receptum fuisset. Pari quoque ratione, si in intestina recipitur, ibique ab opio retinetur, aut tam parva adhibetur quantitate ut non purgat alvum, nonne fieri potest ut in viscera abdominis talem exerceat vim, qualem illitis gingivis in glandulas salivarias? Hoc utcunque sit, fæces rite dejiciuntur, colore quoque ac cæ-

teris quæ sibi propria sunt, atque a jecinore derivantur, distinctæ. Adhibito hydrargyro, hæc salutis signa se constanter ostendunt: jure igitur credendum, illi se debere referri.

Qui igitur successus hanc medendi rationem consequantur, eos ostendet liber ab ABERNETHY editus "de morbis localibus"—ostendent tractatus a CHEYNE "de morbis infantum." Narravit quoque FERGUSON historias istorum militum qui dysenteria laborarent, dum exercitus HISPANIA cederet, ducente ILLUSTRISSIMO MOORE. Hydrargyrum adhibendo per singulas horas, vel secunda quaque, ad granum unum donec os afficiretur, adeo felici successu ægros tractavit, ut ingenuo cuique utilitas ejus satis superque innotescat. Mihi nimirum in concilio erat, narrationem ejus in compendium redigere, et huic operi inserere: inter acta autem Societatis Medico-Chirurgicæ apud Londinum recensitur; quorum in eodem secundo volumine historiæ quædam hydrocephali reperiuntur, qui vel originem vel incrementa duceret a jecore vitiato.

Hæc habui de quæstione satis gravi quæ dicerem: qualiacunque autem fuerint, spero saltem me illius non oblitum fuisse, "*sine pertinacia refellere.*"

FINIS.